



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1514. usque ad annum 1520

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118464

§. 89. Albuquerqueii Indiarum Proregis obitus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66414](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66414)

mo lapide distans. Huic præerat Alisbe-
 gus Jachizæ Bassæ Filius: obsidionem ve-
 ro illius moderabatur Stephanus Batorii
 Filius. Selimus, qui tunc in Asia Kema-
 cum cingebat, ab Alisbego rem edoctus,
 confestim eidem negotium dedit, ut ad
 omnes circumvicinas Provincias, eorum-
 que Governatores perscriberet, juberet-
 que, ut simul congregati nulla mora Sin-
 derovianæ urbi suppetias venirent. Jam-
 jam Hungari erectis aggeribus, tormen-
 tisque undique locatis mœnia adeo con-
 tinua explosione nudabant, ut de urbis
 expugnatione vix non certi essent, cum
 ecce! præter expectationem Turcæ tan-
 to numero advolant, ut Hungari horum
 adventu territi, metuque ad ipsum exer-
 citum extenso unaomnes fuga salutis suæ
 consulere intenti essent. Fugitivis instant
 Turcæ, nonnullos capiunt, eosque in
 vincula abripiunt. Selimus victoriæ nun-
 cium cum ingenti lætitia excepit, atque
 in grati animi signum Janusio Bassæ man-
 data dedit, ut Bosniam ferro flamma-
 que vastaret.

Sæcul. XVI.
 A.C. 1515.

§. LXXXIX.

*Albuquercii Indiarum Proregis
 obitus.*

Funestabatur hic annus fatali obitu duo-
 rum valde insignium hujus temporis
 Heroum

*Marian. lib.
 30. n. 123.*

Sæcul. XVI.
A.C. 1515.

Joan. de
Barros.
Maffe.
Marmol.
Vascellos.
Spon. ad an.
1515. n. 15.

Heroum ex natione Hispanica, horum primus erat Alphonsus Albuquerque Lusitanus Indiarum Prorex, alter vero Ferdinandus Consalvus, qui vulgo *magnus Capitaneus* cognominabatur. Albuquerque, cum Ormutil Coronæ Lusitanæ negotia procuraret, longa infirmitate ex profluvio ventris extenuatus, Goam navigare constituit; cum vero in itinere nuncium de Lopesii Suarii sui in imperio successoris adventu accepisset, tanta inde animi perturbatione corripiebatur, ut dolori suo imperare, planctumque reprimere haud ultra valeret, quæ de causa morbi vis plurimum invalescebat minori in horas sanitatis spe: Igitur Goæ proximus accersiri jussit Presbyterum, cui erat solitus conscientiæ vulnera detegere, ac cum eo rebus omnibus communicatis, poenitentiaque & S. Oleo ex ritu Christiano expiatus antelucano tempore piissime efflavit animam. Uxorem nunquam habuit, unicum tamen, quem ex ancilla Inda susceperat, filium reliquit, ac de eo sollicitus ante mortem hæc verba ad Regem perscripsit: *Filium habeo unicum, eum tua benignitate complectere, precor, paternis meritis ea gratia esto.* Rex Lusitanæ hunc Filium mutato, quod a prima ætate acceperat, Blasii nomine Alphonsum appellari voluit, atque in Patris memoriam, prædia, & vecti-

vestigalia dedit ampla, ac splendorum ei-
dem nuptias conciliavit. Alphonfus ejus
Pater Goæ sepultus est in magnifico quo-
dam sacello, quod ipse in honorem B.
V. M. construxerat.

§. XC.

Ferdinandi Consalvi mors.

Alter, quem mors Hispanis eripuerat, *Marian. lib.*
erat Consalvus. Is cum Loxæ vitam *30. n. 132.*
suam in præcipiti esse sentiret, Grana- *Guicc. l. 12.*
tam in lectica deportari voluit, spe con- *Petr. de Ang.*
cepta, mutato aere morbi vim remissu- *epist. 557.*
ram. Ast nihil ea tunc diligentia profe- *De Thou hist.*
ctum; paucis enim post ejus adventum *lib. 1.*
elapsis diebus secunda Decembris die anno *Brantom. vie*
millesimo quingentesimo decimo quinto *des Capit.*
vivi ereptus est, annos natus sexaginta *Vie du Card.*
duos. Non nisi Filias reliquit, ac inter *Ximen. t. 2.*
eas natu majorem nomine Elviram to- *l. 5. p. 299.*
tius paternæ substantiæ hæredem. De-
functo Ferdinandus Rex in universo Re-
gno honores in Hispania non nisi Regibus
fieri consuetos exhiberi jussit. Laudes
ejus lugubres decantans Petrus Angle-
rius Mediolanensis: *Væ!* inquebat, *ti-*
bi! vœ Hispaniæ! vita fundus est Consal-
vus Magnus Imperator jure merito appella-
tus, qui nomen tuum primus hac tempestate
supra astra locavit, tuque o Hispania eo
alumno famam æternam consecuta es.

§. XCI.